



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. II. Extari vestigia, & designari locum in hoc monte, vbi Alias olim sit
moratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

- Eccl. 48.** colligit ex illis verbis Eccl. 48. *Prophetas facis successores post te.* Etenim licet quidam interpretati sint hæc verba ad *Eliam* dicta fuisse, eo quod ex mandato Dei 3. Regum 19. *ELISÆVM* vnxit, & sui spiritus prophetici hæredem reliquit, germanus tamen sensus est, nomine *Prophetarum* non intelligi futura vaticinantes, sed Deum in hymnis, & canticis spiritualibus, ac musicis instrumentis laudantes, ut non obscure indicant verba illa 1. Paralipom. 25. **1. Paral. 25.** *David, & Magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Emam & Ydithum, qui prophetarent cum cytharis, psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes. & post pauca: Ydithum in cythara prophetabat super omnes consistentes, & laudantes Deum. Monachos ergo laudantes Deum, vocat successores Elia, cum ait: Prophetas facis successores post te.*

CAPVT II.

Extare vestigia, & designari locum in hoc Monte, ubi ELIAS olim sit moratus.

- Hier. Rō.** **S**ecundò, obijcit Hieronymus Roman. li. 2. c. 11. quod varia itineraria legerit, ut Martini de Aumpies, Moguntia Decani, & Arandæ Franciscani, qui copiose terram sanctam describunt, dicentes: Hic sepultus fuit Abraham, hic S. Anna, ibi situm erat Monasterium sancti Hieronymi; nunquam tamen locum signant, in quo *Elias* moratus fuerat: sed planè ad pauca illa respiciens, paralogizatus est: nam in primis Nicephorus Callistus lib. 8. historię Eccles. cap. 30. loquens de Helena loca sancta visitante, sic ait: *Deinde ad sacrum Iordanem conuersa, circa speluncam, ubi olim domicilium Baptistæ habuit, perpulchram ad eam illi erexit, aliamq; ad summitatem montis Elia Thesbitæ.* Deinde Adricomus in Theatro terræ Sanctæ, in Tribu Isachar num. 19. hæc verba habet: *In hoc monte in pede montis Orientis*

zali, ait *Author itinerarij Ghistela*, spelunca est, & fons, ubi habitauit Elias, & Elisæus, & filij Prophetarum: postea habitauerunt ibi Fratres Carmelitæ, unde & originem, & nomen habent. Et infra paucis interiectis, subdit: Ex Caipha ad leucam unam, via, qua ducit ad Castrum peregrinorum, per ascensum montis Carmeli, ferè dimidia leuca, est spelunca Elia, in qua &c. Illic etiam est fons, ubi Prophetarum filij habitabant, nunc autem inhabitant Fratres Ordinis Carmelitarum, fuitq; cum eis ibidem.

CAPVT III.

Habuisse ELIAM discipulos siue Congregationem monachorum sibi subditorum.

Tertio, obijcit Hieronymus Roman. *libr. 2. cap. 9.* manifestum esse, Eliam non habuisse Congregationem aliquorum discipulorum, cum nunquam habuerit, nisi solum duos, nimirum Elisæum, & Ionam Prophetam, filium viduæ Sareptanæ, imò inferius factum affirmat, hunc Ionam discipulum eius fuisse: sed pugnat cum S. Epiphano, qui loquens de Abdia in vita eius, affirmat discipulum Elia fuisse dicens: *Hic est Vates, qui ter semicenturionem egit, cuique paruit Elias Thesbytes: post hæc Regia ordinationis desertor adhaesit diuinatori Elia, & factus est discipulus eius.* Pugnat etiam cum S. Dorotheo in Synopsi Prophet. ubi de Abdia sermonem instituens, ait: *Iste Abdias erat de terra Sichem: fuit discipulus Elia.* Pugnat cum Ioanne XLIV. Patriarcha Ierosolymitano de institutione Monachorum *cap. 23.* hæc scribente: *Priusquam Elias ab hoc mundo transferretur, fuit ei cura, Monachos discipulos suos filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis prouidere, propter quod descendentes ipse, & Elisæus de monte Carmelo, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & inde in Iericho, Nam sicut prædiximus,*

Hier. Rö.

S. Epiph.

S. Dorothe.

Ioan. 44.

Patr. Hier.